



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1624. usque ad annum 1627

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1778

VD18 90118863

§. 42. Nicolai Coeffetau ex Ordine Fratrum Prædicatorum extrema.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67369)

Sæc. XVII. quædam ab aliis edita perficere intentus, Cæsaris Heisterbacensis exempla illustravit, utinam ea ab apocryphis etiam expurgasset: adornabat quoque editionem puriorem chronici Mariani Scoti, necnon Petri Busæi catechismum Sanctorum Patrum auctoritatibus locupletabat. Exstat quoque ipsius Chronologia.

Denique Cosmas Magallianus, qui die nona Octobris Conimbricæ annos septuaginta tres natus obiit, commentarium in epistolas D. Pauli, in Moylis Cantica, & non Historiam Judicum edidit, præter catechismum Japonensem.

§. XLII.

Nicolai Coeffetau, ex Ordine FF. Prædicatorum extrema.

*Echard
Script. Ord.
Præd. t. 2.
p. 434.
Dupin. t. 6.
pag. 59.
Niceron.
t. 3. p. 91.*

Eo magis luctuosa erat jactura, quo pretiosior erat memoria quorundam ex Ordine S. Dominici Scriptorum, qui hoc anno mortis invidia Orbi literario subducti fuere. Hos inter speciali memoria dignus est P. Nicolaus Coeffetau in oppido San-Caleti natus, qui Sorbonæ Doctor vigesimo octavo ætatis suæ anno Henrico IV. Galliarum Regi & Margarithæ Reginæ a Concionibus, ac Parisini Conventus Prior necnon Congregationis Gallicæ Vicarius Gene-

Generalis declarabatur, dimissis tamen Sæc. XVII.
 hisce muniis totum se literis dedit, ut A. C. 1624.
 eo utilius sese edendis libris, habendis
 concionibus, & refellendis hæreticis
 impendere posset, qua in exercitatione
 tam uberes tulit laboris sui proventus,
 ut ex Calvinistis non paucos ad Eccle-
 siæ sinum revocaret, & contumaces
 egregie devictos pudore suffunderet.
 Scripsit quamplurima præcipue adver-
 sus hæreticos tam docte, solide, ac
 eleganter, ut ex horum lectione tan-
 tum voluptatis, quantum fastidii sæpe
 in aliorum vulgariis Dogmatistarum
 libris, hauriatur, ipse etiam Grego-
 rius XV. ad refellendum Antonii de
 Dominis librum de republica Ecclesia-
 stica, ejus opera utebatur, eique Pau-
 lus V. Metensem Episcopatum sub ti-
 tulo Dardaniensis Episcopi administan-
 dum committebat, tandem Massiliensis
 Præsul renuntiatus, cujus tamen Ec-
 clesiæ regimen suscipere haud poterat,
 morte nimis præmatura præpeditus;
 obiit enim Parisiis anno ætatis suæ
 quadragesimo nono die vigesima prima
 Februarii. Vivit tamen adhuc in lite-
 rato orbe nominatissimus ob præclara
 sua opera, quæ posteris reliquit, &
 primo quidem sat solidam scripsit apo-
 logiam contra Jacobi I. Angliæ Regis
 admonitionem ad omnes Principes
 H 5 Chri-

Sæc. XVII. A. C. 1624. Christianos. II. Responsi sui apologiam adversus accusationes Petri Mulinæi Calvinistæ. III. Miracula Sanctissimæ Eucharistiæ contra Infideles. IV. Refutationem libri de omnipotentia & Voluntate Dei contra Mulinæum, Plessium, & Casaubonum. V. Responsum ad Plessii librum de mysterio iniquitatis. VI. Examen libri de confessione fidei sub nomine Jacobi I. Angliæ Regis divulgati. VII. Defensionem S. Eucharistiæ adversus Mulinæi apologiam & refutationem falsitatum ejusdem Apologiæ. VIII. Sacrificium Ecclesiæ Catholicæ. IX. Examen libri Plessii contra Missam. Edidit etiam septem opuscula Theologica sat utilia. Præcipue vero commendantur ejus libri quatuor apologetici, quos adversus Marci Antonii de Dominis Rempublicam concinnabat: ibidem enim hostis sui vestigia presse insequitur, ac nunquam a scopo suo declinans, hunc Apostatam exigua artis criticæ peritia, ac Historiæ Ecclesiasticæ cognitione præditum fuisse demonstrat; quamvis ex Dupini judicio ipsemet Coeffetæus illis, qui post eum hoc argumentum pertractarunt, parcio rem Historiæ & Disciplinæ Ecclesiasticæ notitiam habuisse videatur.